

dogmata accuratius perciperet, & SCHVBERTO se & CARPZOVIO, Dumuiris maximis, Abbatibus, adiunxit, quorum in utroque inuenit, quod miraretur, in altero, quod magis amaret potiusque sequendum esse duceret. Praeterea priorem quidem illum, nunc nuper Gryphiswaldensibus concessum, libentissime audiuit Christianae & morum doctrinae & quorundam quasi armorum, disertissimum magistrum, alterum vero hunc Ducem elegit ac Principem, qui magno cum eruditionis apparatu, qua semita & regia quasi via per omnes libros sacros penetrandum esset, fidelissime monstraret. Quare scholis huius interfuit omnibus ex illarum genere, quae exegeticae vocantur, in quibus Euangelium modo MATTHAEI, modo IOHANNIS, modo tres huius Epistolas, modo Acta Apostolorum, sanctissimum opus LVCAE, modo denique PAVLI epistolam ad Hebraeos scriptam, felicissime sibi explanari audiebat. Ne Physicorum quidem dogmata, Theologo scilicet multis in rebus vitia, reliquit intacta, quorum luculentam hausit a BEIREISIO, ut Medicae artis, sic talium rerum professore doctissimo, notitiam.

Ac si, tanquam ex primo germine de arbore nascenda, sic ex his rerum initiis iudicauerimus de eo, quod sperandum fore videbatur, fatebimur sane, non exiguam nobis spem esse morte Huius extinctam, cuius ille quasi femina dudum in venis suis videtur nobis insciis aluisse. Statim enim a primo vere A. LXIII. exscreare sanguinem coepit, ita tamen, ut & ipse, & Medicus praestantissimus, quem supra nominavi, BEIREISIVS, ab ipso, ut qui principiis obstare cuperet, consultus, nihil grauioris mali inde extimescendum putaret, praesertim quum multa exempla & citari potuissent & digito monstrari, similia passorum, nullo fere valetudinis, nedum vitae, dispendio. Itaque nihilo ille minus, quam ante, gerere res suas, meare illuc, ubi habebat, quod audiret, remeare domum, legere, scribere, differere, nec Parenti quidem Optimo, qui eiusdem anni aestate post usum acidularum Pymontanarum liberos inuisendi causa Helmstadium diuerterat, quidquam timoris aut curarum iniicere. Neque enim postremo, in primis, quum bonam hiemis partem satis prospere transegisset, multum ipsi timendum superesse videbatur. Sed tamen mox deinde mutata cito nimis est nec opinato rerum facies. Nam vere nouo grauior multo vis mali ingruerat, ut sanguinem iam non spuendo redderet, sed vomendo, & viribus tantopere debilitaretur, ut nihil fere amplius praestare rerum suarum aut exsequi posset. Ac quamuis plus forte, quam posset vera, praestare interdum conaretur, tantum ne aut diuelli iuberetur vel a studiis suis, vel a Fratere iucundissimo, aut cum hoc non longo post tempore Lipsiam commeandi spem sibi a Parente factam dimitteret, tamen adeo tandem morbus inualecebat, ut vix deuinci posse videretur eius magnitudo, nedum tegi atque obscurari. Certe domum redeundi, vel ob meliorem valetudinis curam, videbat sibi necessitatem impositam, vel ob ipsam voluntatem Patris. Cuius rogatu deduxit Eum postremo Lubecam auunculus carissimus, Vir praenobilissimus atque doctissimus, IOH. FRIDER. WOLDTIVS reu. ministerii Lubecens. hodie Candidatus dignissimus, quocum illud iter a. d. XVII. Octobr. anni elapsi ingressus, a. d. XXIII. eiusd. mensis satis feliciter pro corpore aegerrimo absoluit. Atque hic partim vidimus abunde, quanto morbo laboraret, ut facile iam tum, proh dolor! hoc, quod nunc euenit, diuinaretur, partim patientiam aegroti requiritatque in tantis malis animi, tanquam ex longa consuetudine, magis tamen ex mente Christiana, ut arbitramur, Deoque res suas omnes committente hauritam, mirati sumus.

Sed iam nimis ego multa de hoc morbo, quantumuis sim Medicae artis ignarus. Reliqua, immo ea quoque, quibus haec, quae dixi, confirmantur, enarret Is, qui studiose requisitus & ab aegroti & a Parentibus, omnia, quae in arte humana videbantur sita esse, ad subleuanda haec tanta mala impendit, Vir nobilissimus atque experientissimus, CHRISTIANVS FRIDERICVS TRENDELENBURG, & doctor salutaris artis & effector celebratissimus, qui, quae sequuntur, huc inferenda, beneuole mecum communicauit. Ita scribit Vir humanissimus: *In Academia Iulia Carolina, quae staret Helmstadii, literis cum strenue incumberet Vir Iuuenis optima spei, Nobilissimus BVRGHARDI, incidit in haemoptoem, primum quidem Ao. 1763 circa festum Pascharos, quae redierit eiusdem anni Septembri mense & omnium pessime eidem mense Decembri, semper pacata est solerti studio, prudentique consilio Viri Clariss. Experientiss. BEIREIS, Professoris in eadem Academia Celeberrimi, medici praestantissimi aequae ac felicissimi. Verum non ita facile neque eodem felici successu rursus, quae inde subsicura est, comperere ei licuit, neque Illustri FABRICIO Conf. Aul. & Professori Gratiosae facultatis medicae ibidem Clarissimo, simul cum illa in consilium vocato. Namque haec per totam hiemem anni subsequens inualecens, indies noua, praecipue versus vernal tempus, cepit incrementa, superueniente tandem febricula, in continuam lentam degenerante, vires aequae ac carnes sensim depascente & nullo artis praesidio vincibili, radicibus quippe nimis aliis, & quidem in ipsis pulmonum exulcerationibus, actis. Demonstrant modo iam sudores nocturni, & pedum oedemata, & multa materiae viscidae per rursus excretio, & ipsae vires fractae, confirmatam nunc esse phthisin pulmonalem humidam. Sic sese rebus habentibus, de reuerti in patriam consilium cepit aeger, omni spe plenus, sese vel ipsa aëris & coeli mutatione, vel maiori paterna maternaque cura, eo felicius & certius inter patrios lares cum sanitate in gratiam rediturum. Verum enim vero crevit in ipso itinere pedum oedema, superuevit funestissima raucedo, & molestior redditus est anhelitus, & ruerit mox post aduentum, qui erat adulo mense Octobri, omnia in peiora. Non mitigata est, sed exacerbata, febris continua, quotidie cum horrore accedens. Quotidie ingens vis puris cocti ex pulmonibus reiecta est. Dolere larynx & pharynx, utraque tumida, hinc indeque paululum exulcerata; sicque impedita est deglutitionis via, ut non nisi aegerrime & maxima cum molestia assumere potuerit, quae tamen satis auide quandoque appetit, vel esculenta, vel potulenta, vel tandem, quae aliquod lenimen dare debuerint, medicamina. Vexare denique vlcuscula putrida, superficialia quidem, sed serpentina in dorso, coccyge, caecis, sic, ut sedendo & cubando pariter misere cruciaretur aeger & omnis situs aequae esset molestus. Exhaustis demum ita viribus, ut pares amplius non essent euandae copiae puris in pectore copiosissime collecti, placide post foetas aliquas anxietates, obdormiit.*

Haec igitur corpori acciderunt, nec, nisi corporis causa, animo. Ipsi vero animi non minorem ille, quoad vivebat, curam habuit. Quocirca nihil gratius sibi reduci accidisse dixit, quam quod breui post aduentum inuiseretur a Viro admodum reuerendo & praeclearissimo, IOHANNE FRIDERICO OSTERMEIERO, eiusdem gregis sacri Petri, cuius Parens Pastor est, Archidiacono fidelissimo & meritissimo, Assine meo coniunctissimo, cui iam ante vitam academicam ingrediendam, quod in homine diuinum est, in se dirigendam commendauerat, magisque ab illo ad fiduciam Christianam & virtutes eam sequentes excitaretur. Ab eodem accepit, secundo die huius, quem agimus, anni sanctissimum IESV CHRISTI epulum, fidei renouamen, solatiique augmentum, & ad alteram vitam lubentissime iamiam abituro vitium. Ab eodem denique & adhortante illum & ad precandum inflammante & cum illo precante, identidem est recreatus, nec ad postremum vsque tempus relictus. Reddidit vero extremum halitum, corpusculo tandem satis omnibus miseriis vexato, laetus, postridie diei Dominicae post Epiphaniam sacrum primae, a. d. XIV. Ian. vix finito post meridiem horae quartae primo quadrante, exactis vitae annis XXI, mensibus IV, diebus XXVIII. Viuitque nunc pro annis saecula in aeternum inter cenas triumphales & perpetuam summi DEI celebrationem beatissime transigenda.

Quae gaudia maneant semper ante oculos posita His, quos vehementer ille casus afflixit, Parenti, Genitrici, Fratris item Sororibusque, & Agnatis, & Cognatis, item Amicis, & ceteris omnibus, ad quos merito dolor ille pertinet, mihi denique, & ipsi maerore & tristitia grauius percusso, ut luctum hunc nostrum leuare, immo tandem, quod ratio suadet, iubetque religio sanctissima, deponere discamus. Tu vero vale, beate BVRGHARDI, & fruire caeli luce & ineffabili laetitia, nullis rebus, ne nostris quidem his luctibus, obscuranda! Sit Tibi terra leuis! Aue atque Vale!

*Scr. ipso exsequiarum die XXII. Ian. A. MDCCCLXV.*